

Sen. Vol. XXIII. Num. 8
DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE
EXERCITIO IURIS

CIRCA SACRA CIVITATUM IMPERIAL.
LIBERARUM PROTESTANTIUM

QVAM

AUXILIO DIVINO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILHELMO HENRICO,

DUCE SAXON. JUL. CLIV. MONT. ANGAR. ET
VVESTPHAL. ET RELIQUA,

DUCATUS ISENACENSIS HEREDE

IN ALMA SALANA

EX DECRETO ILLUSTRIS ORDINIS JURIDICI

R R Æ S I D E

VIRO ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

CHRISTIANO WILDVOGELIO,

JCTO CONSUMMATISSIMO,

CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI INTIMO, CURIÆ PRO-
VINCIALIS ET SCABINATUS ASSESSORE, FACULTATIS
JURIDICÆ SENIORE, JURISPUBL. FEUDALIS, CODICIS,

AC NOVELLARUM PROFESSORE ORDINARIO,

DN. PATRONO AC FAUTORE ÆTERNUM DEVENERANDO


PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JURE CAPESSENDI HONORES ET PRIVILEGIA
SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT

D. *Jun. MDCCXIII. horis ante & pomeridianis.*

GEORGIUS MATTHIAS Hirsch / Goslariensis.

IENÆ, Litteris Müllerianis.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO
JURIS PUBLICI,

*De exercitio juris circa sacra civi-
tatum liberarum imperialium
protestantium.*

S. I.



Exercitium juris circa sacra civitatum liberarum imperialium protestantium explicaturi, è re nostra futurum arbitramur, si indicato prius fundamento, tam juris circa sacra ipsius, quam exercitii, feliciores progressus in instituto faciamus. In singulis nimirum bene constitutis rebus publicis fundamentum regiminis duabus absolvi partibus existimamus. Uti enim naturalis hominum libertas imperandique cupido vix pacificam nobis societatem permitteret, nec præstatio officiorum, ad quæ cives sibi

Jus circa sacra & ejus exercitium ex naturalibus principiis summæ in rep. potestati vindicatus.

A 2

iavi-

invicem natura sunt obligati, facile esset speranda, nisi a summa potestate proterva civium voluntas certo modo instruatur vel refrenetur; ita nec illa civium actiones externæ, quæ circa cultum divinum versantur, facile in societatis salutem vergerent, ni summa in illa potestas, aut normam iis præscribere, aut suo modo coercere posset. Quot enim orirentur dissensiones, si quilibet suum sibi modum vivendi vellet eligere? quales horrendi motus exituri essent in Republica, si ex morum dissimilitudine provenientes actiones omnibus sine discrimine permetterentur? Non potest ergo non summa potestas, cui illarum directio est concessa, illis uti mediis, quibus verus & salutaris finis obtineri potest. Neque ullus meliori cum effectu facultatem hanc sibi arrogat, quam iste, qui caput civium audit, quique fasces in republ. tenet. *Clapmarius de Arcanis rerump. lib. 1. cap. 15.* Nec vero monere & viam monstrare sufficit, sed coercitio simul atque poenarum impositio necessaria est. Quæ quidem res, cum à nemine alio, quam qui summa potestate pollet, melius effectu dari queat, exinde quoque patet, neque in nostris rebus publicis germanicis alii, quam cujusvis capiti atque summæ potestati, non vero Pontifici, dispensationem & directionem actuum, qui ad sacra spectant, competere, quod pluribus deductum vid. in *Jure Eccles. Brunnemanni lib. 1. c. 2. §. 3. seq.*

Definitur
jus circa sa-
cra, ut & ejs
exercitium.

§. II.

Inde nunc clarissimè profluit illud jus, circa sacra, quod meritò hodie principes & cæteri status protestan-

testantes in imperio nostro germ. jure postliminii sibi vindicarunt. Illud vero ita definiri potest; quod sit *legitima facultas dirigendi actus religionis in salutem societatis humane, quatenus legibus divinis & sacra scriptura non est contraria.* Hinc exercitium juris circa sacra nihil est aliud, quam *ille ipse actus instituendi, dirigendi & protegendi sacra.* De cujus legitimo modo nobis in hac dissertatione sermo erit. Quo vero tempore hoc statibus protestantibus injuria fuerit ablatum, & quam mali usurpatores possessoresve istius per tot secula fuerint Pontifices Romani, satis superque ex historia germanica notum est. Ab initio enim status imperii secularia jura, pariter atque ecclesiastica exercuere. *Dn. Sveder Jur. publ. Part. Spec. Sect. 11. c. 12. §. 1.* Exempla exhibet *Luitprand. lib. 2. c. 8. L. E. G. 3. 4. 9.* Neque tamen hierarchia papalis ad eum gradum processerat, quo post traditionem & cessionem jurium ecclesiasticorum ab Henrico V. Imperatore Pontifici factam, pervenit. *Conring. Exerc. Acad. 4. §. 26.* Licetum namque adhuc erat principibus, curam circa ritus sacros externos habere, id quod tunc temporis erat jus circa sacra, confer. *Dn. Thomasius in cautel. circa jurispr. ecclesiast. cap. 15. §. 12. ibique citat. Arnoldus in der Kirchen- und Reser-Historie;* at vero per modo dictam cessionem non minus Imperatori, quam cæteris statibus exercitium circa sacra penitus fuit ablatum. vid. *Schilter. de Pace Relig. c. 8. §. 15.* Quæ fata, an etiam civitatibus imperialibus liberis contigerint, nostrum erit indicare. Præ omnibus autem videndum,

De amissionis juris circa sacra.

An civitatibus imperialibus liberis contigerint, id quoque amiserint, an monstratur.



an jam tum illo tempore facultatem jus circa sacra exercendi habuerint, atque jure territoriali gavisa fuerint; hoc enim fundamento non supposito, connexio nullius esset valoris. Per indicem igitur quasi videamus, qualis fuerit status civitatum imperialium ante reformationem, quoque jure circa sacra fuerint usa.

§. III.

De origine civitat. german. in genere.

Civitatum equidem in Germania origo non immerito jam ad tempora Regum stirpis Carolinæ referatur, aliter ac putat *Limneus in Jur. publ. lib. 7. c. 1. n. 18. ex ibi cit. Cluver. antiqu. germ. & multarum epocha in illis seculis constituenda est, velut Norimbergæ, Mülhufii, Treviri, Colonia Agripp. Augustæ Vindelic. &c. Conring. diff. de Urb. Germ. §. 31. 32. Negari tamen non potest, Henrici Aucupis jussu & instituto, quamplurimas fuisse conditas, quo is eo melius exterarum gentium invasiones reprimere atque illarum ope crudellem hostem possit repellere. Hinc ab ejus tempore plerumque in urbibus finalibus Comites, Landgravii, Burggravii, & similes regii præfecti constituebantur, qui omnem navarent operam in hostium invasionibus reprimendis. Hi paulatim urbes & regiones, primo quidem solum ad vitæ usque terminum possidendas atque tuendas sibi demandatas habebant, postea vero jure majori & hereditario sibi acquisivere. *Dn. Coccejus in Jure publ. c. 21. §. 11. Monzamban. cap. 3. §. 5.* Aliæ verò civitates imperatoriam potestatem diutius per præfectos agnoscebant, vid. *Datt. in Vol. Ker. Germ. lib. 1.**

lib. 1. cap. 1. n. 91. Inque eo statu alias usque ad tempora interregni permansisse, alias citius libertatem, & vel seculo undecimo jam tum fuisse consecutas, tam oneroso quam lucrativo titulo, liberalitateque Imperatorum, constat. *Mylerus ab Ehrenbach in Archologia c. 17. Monzamb. c. 3. in fin.* Interregni vero tempore, cum plurimi principes statusque imperii ex necessitate inter se invicem varia fœdera defensionis gratia inirent, multæ & imprimis majores Germaniæ civitates, cum aliis tam exteris quam patriæ municipalibus, fœdus illud decantatum, Hanseaticum scilicet, inibant, tum propter singularum utilitatem & commerciorum causa, tum defensionis gratia, quo aliorum insultus, qui interregni tempore non infrequentes erant, eo felicius possint repellere ac quietâ pace frui, id quod ab initio primariæ rationes facti istius fœderis absque dubitatione fuerunt. *Datt. loc. cit. c. 4. p. 23. Werdenbagen de fœd. Hanseat. Hagemeyer. in comment. de fœd. Hanseat.*

De origine civit. Imperialium liberar. in specie.

§. IV.

Quæ quidem confœderatio non absque singulari fuit effectu, tam ratione propositi finis, quam imprimis jurisdictionis territorialis. Tanta vero dicti fœderis erat auctoritas & potestas, ut non solum alios exterosque Reges & populos debellaret, sed & ut hi illius amicitiam & societatem quærerent; imo cum opes atque vires civitatum eo ipso valde crescerent, sequentes Imperatores, utilitatem sibi ex earum facultatibus contra alios promittentes, confirmatione sua hoc



hoc foedus munivere. *Limnius Jur. publ. lib. 7. cap. 1. n. 79. ibique cit. auth.* usque dum sequentibus temporibus iterum à Carolo V. ex speciali ratione dissolveretur. Illæ igitur civitates, quæ durante interregno & foedere Hanseatico, in possessione libertatis & compartitionis in comitiis adhuc erant, postea cum cæteris proceribus Germaniæ in jure quæsito fuere à Carolo IV. confirmatæ. *Knipschild de privit. civitat. lib. 2. c. 2. num. 74. & 113.* Ex qua ratione quoque harum omnium possessio quoad ista jura in Instrumento Pacis Westphal. de novo fuit constabilita, tacite iis exclusis, quibus antea controversia libertatis fuerat mota.

S. V.

Explicatur
penes quem
olim fuerit
exercitium
juris circa
sacra in ci-
vitat. lib.

Quod nunc exercitium juris circa sacra spectat, non inconvenienter dixerim, ab initio illud competuisse Episcopis, in quorum dioecesi civitates erant sitæ. *Knipschild loc. cit. lib. 2. c. 2. n. 88. & lib. 5. c. 3. n. 1.* qui tamen ab Imperatore eo jure erant investiti. Dicere quoque possumus, regios præfectos plane non fuisse, exclusos, utpote qui & altam & bassam tenebant jurisdictionem ab Imperatoribus concessam. *Datt. Vol. Rer. Germ.* His vero postmodum missis & insuper Imperatore juribus suis circa sacra per Pontificem spoliato, uti omnis fere auctoritas circa sacra in Imperatoris cæterorumve statuum ditionibus, Pontifici ejusque Episcopis erat addicta, ita & nullum dubium est, quin etiam libera imper. civitates ipsius hierarchiæ fuerint subiectæ. Tanta quoque erat plebis cæcitas, ut clerus
sub

sub specie religionis tentaret, persuaderet, re-
geret. vid. *Dn. Thomas. in cautel. jurispr. eccles. cap. 15.*
num. 15. 18. seq. Hinc nulla magistratui circa sacra po-
testas, clerus enim per Episcopum, Diaconum, Subdia-
conum, &c. cuncta disponebat. Qua in cæcitate Sta-
tus Germaniæ permansere usque ad tempus reforma-
tionis. Ex quo, cum universus Protestantium ordo
ad saniora principia rediret, jugumque papale a se
devolveret, civitates etiam liberæ imper. quamplu-
rimæ hoc jus recuperarunt.

Tempore
reforma-
tionis.

§. VI.

Quo facto tamen non statim ad eum gradum
exercitii juris sui Status protestantes pervenere, quo
poterant. Quædam enim Imperator sibi pristino jure
vindicabat, multa Principibus ab ipsis ecclesiæ mi-
nistris denegabantur, dicentibus: horum directionem
& curam nemini nisi ecclesiæ ministris competere,
Principes vero & cæteros status reformatos tanquam
personæ seculares, esse considerandos, nec ad talia
negotia à Christo constitutos, sed sibi, tanquam
Christi servis, administranda incumbere. Quæ
doctrina, cum adhuc papatum suboleret, facile ansam
dare potuisset, ut optima reformatantium intentio in-
novum papismum degenerasset, ac Principi & summæ
potestati in republ. nil nisi externa quædam inspectio
minimorum jurium circa sacra fuisset relicta, nec ulli
verum istius juris fundamentum fuisset cognitum. Cui
insuper accedebat publica inceptæ reformationis ca-
lamitas: Pontifex enim & reliqui ejus religioni addicti

B

nulla-

nullatenus poterant oblivisci, Status protestantes eo ipso a nexu & corpore ipsorum divelli, & imprimis ecclesiastica bona nunc in illorum potestate esse, quorum manus non sacrata, & qui absque dubio propriam religionem in iis erant undiquaque introducturi. Quod satis superque ex multis & variis bellis & persecutionibus Catholicorum in Protestantibus, imo ex ipso restitutorio edicto clarissime patescit. Donec tandem felici exterorum Regum interventu, Imperator cum sociis suis adducerentur ad Instrumenti Pacis Westph. compactata ineunda. Clarissime satis in his tot. artic. V. disponitur de jure protestantium circa sacra, atque iis postliminii quasi jure restituuntur illa, quibus olim gavisi erant. *Dr. Autor Meditation. ad Instrumentum Pacis p. 586.* decisum quippe ibidem, ex quo principio, in quibus causis & quousque Protestantibus sacrorum jura competant. Id vero per se patet, jam non ministris ecclesiae, sed summae in republ. Protestantium potestati inspectionem & directionem jurium circa sacra incumbere, cum è contrario in catholicorum terris omnia adhuc Pontificis & cleri directioni subjaeeant. *Uffenbach. in tr. de judic. Aul. c. 10. Sect. 2. subs. 1. n. 1. in fin. Bœcler. in instit. Pol. p. m. 380. & 381.*

§. VII.

Quare non Imperatori sed Statibus protestant. illius juris exercitium competat hodie.

Quod si nunc in ipsum fundamentum inquiramus & quare Statibus protestantibus sacrorum jura tanquam summae cujusve reipubl. potestati competant, & quare non Imperator, qui caput imperii audit, loco ipsorum illa exerceat, vel ad minimum investituram super

super iis Statibus conferat? dicendum: in Instrum. Pacis & prioribus de religione pacificationibus, respectum habitum fuisse ad Statum secularem, in quo principes per §. *gaudeant*. nullum agnoscunt superiorem in suis territoriis; jus vero circa sacra habeatur tanquam connexum illius, per superius dicta, consequens est, ut quoque ex illo fundamento jus circa sacra ipsis suo competat jure, nec necesse sit prius illo investiri ab Imperatore: quo supposito sequitur, superioritatem territorialem esse verum & infallibile fundamentum sive normam juris Statuum protest. circa sacra. *Ludolph. Hugo de Stat. reg. German. cap. 3. num. 28. Reinking. de Reg. Sec. & Eccl. l. 3. c. 1. c. 10. Sweder. Jur. publ. P. S. f. 2. c. 12. §. 1. p. 710.* Neque enim putemus, plura Statibus protestantibus circa exercitium jurium sacrorum non competere, quam quæ in dict. Instrum. Pacis *artic. V. & VII.* iis directo fuere concessa; Imo omnia potius in iis possunt, quæ ullo modo videntur ad sacrorum in territoriis suis facere promotionem & cultum exercitiumque horum jurium, in quantum nimirum libertas illa per pacta & conventiones non est restricta. Ita Imperatori in Instrum. Pacis *artic. V. §. Ubi & Capitulationibus* reservatum fuit jus primarum precum, quod vi hujus Pacificationis in omnibus Protestantium ecclesiis & monasteriis exercet. *Linck. de Jure Episc. cap. ult. n. 5. & 98. Autor Medit. ad Instrum. Pac. ad artic. V. §. 26. p. 408. & ad eundem artic. §. 18. p. 244.* Non neglecta tamen differentia, an hoc jus in mediatis, an immediatis exerceatur ecclesiis,

Verum-
fundamen-
tum exerci-
tium juris cir-
ca sacra sup-
ponitur, scil.
jurisdictio
territor. &
Pacificationes religio-
sa.

uti in *sic. Mediat.* pluribus videri potest. Ex dictis igitur verum manet, jurisdictionem territorialem & pacificationes religiosas, inprimis sæpius jam cit. *Instrum. Pac. Westphal.* constituere fundamentum exercitii juris circa sacra, quam hypothesein ipsum Pacis Instrumentum tradit, *artic. V. §. 30. verb. Cum ejusmodi Statibus immediatis cum jure territorii & superioritatis ex communi per totum imperium hæctenus usitata præxi etiam jus reformandi exercitium religionis competat, &c.* Illarum dispositionum omnium an quoque participes factæ sint civitates liber. imper. nullum jam restat dubium, cum hæc sub Statuum appellatione ubique continentur. Nec alterum requisitum, jurisdictio scil. territorialis, iis deest, aut denegari potest, & in illo monstrando nunc operam navare nollem, nisi à variis jam varia essent prolata & passim monita, adversus eos, qui ipsam civitatum imper. superioritatem territorialem destruere conantur; quorum tamen nonnulla principia, priusquam ulteriorem explicationem exercitii juris circa sacra aggrediamur, refutare animus est. Et licet jam tum à *Consultissimo Heilbrunnero, in dissertat. inaug. de Superioritate territoriali civit. imper. liber. sub Præsidio Illustris Dn. WILDVOGELII* hujus dissertationis Præsidis habita, fundamenta superioritatis territorialis civitatum imper. liber. satis sint demonstrata & dissentientium argumenta refutata; attamen adhuc quædam restant objectiones, quarum propter argumenti prolixitatem, vel nulla vel breviter saltem mentio ibidem fuit facta; illarum igitur nunc refutationem in-

nos

nos recipimus, quo postea eo feliciores in instituto nostro facere possimus progressus, explicaturi & demonstraturi conclusiones exinde profluentes & universi juris circa sacra exercitium.

§. VIII.

De origine ipsa jurisdictionis territorialis & libertatis in genere civit. imper. antea jam disseruimus, atque veriorem hac de re opinionem recitavimus. Hoc non obstante dantur, qui ex supposita hypothese: *ab origine Imperii Germanici omnes civitates fuisse mediatas, & uni ex septem Archiprincipibus Germania paruisse, conclusionem & regulam inferunt: nullam civitatem presumi liberam, sed libertatem allegant, hujus incumbere probationem, tam pro universali asserenda, quam pro juribus particularibus sibi competentibus.* Hinc porro dicunt, quod ex eo fundamento *judicia recuperatoria institui possint, pro recuperando Caesaris domanio, redigendisque sub hujus potestate liberis civitatibus.* Quam labili autem fundamento innitantur hæ novæ opiniones, facile patescit. Probandum enim primo incumbit Autori dictæ sententiæ, nec dicere sufficit, omnes & singulas civitates ab initio sub duce septemque Archiprincipum fuisse directione & jurisdictione, nec ullam ab Imperatoribus fuisse conditam & per præfectos gubernatam, id quod efficere nunquam valebit. *conf. supr. §. 3. b.* Deinde filum consecutionis nullum apparet in his: *quod civitates liberae, quia ab initio sub ancibus fuere, necessario libera non presumantur, ipsisque*

Refutatur opinio præsumptione libertatis civitat. imper. negantium.

incumbat libertatis probatio; quasi facies rerum sequentibus temporibus non maximam partem potuerit mutari. Supposita & concessa hac ratione, de presumptione subjectionis contra libertatem, quid dicendum esset de maximis hodiernis Principibus, Episcopis, Ducibus, Comitibus & Baronibus, quorum territoria, secundum septenariam divisionem, necessario in unius ex illis Archiprincipibus territorio & ditione quondam fuere sita? quis vero diceret, ergo liberi hi Status non presumuntur, sed probatio libertatis illis incumbit? certe non absque magna absurditatis nota, quis hoc assereret. Ut taceam nunc publicas in contrarium extantes sanctiones & leges fundamentales, quibus satis aperte civitatibus imper. libertas fuit confirmata, nullatenus vero ejus probatio ipsis imposita. vid. *Instr. Pac. art. VIII. §. 4. it. §. Gaudeant. Burgold. ad Instr. P. d. A.* Neque distinctio inter libertatem reservativam & constitutivam hic rem conficit. Solent vero *constitutivam* libertatem attribuere civitatibus, quæ à primordiali principum suorum nexu liberatae in manus Cæsaris venerunt, & ab hoc libertatem sunt consecutæ. Illis vero tribuunt *reservativam*, quæ non interveniente Imperatore, à principe territoriali libertatem redemerunt. Has pro se presumptionem libertatis habere, non illas, volunt. Differentiæ vero nullam rationem video, & potius dicerem; si thesis vera esset, contra has potius inquisitionem procedere, probationemque libertatis ipsis incumbere.

cumbere quam illis, ideo, quod pristinorum principum alienatio sit facti, & ita tam per se, quam ratione tituli probanda, præsertim cum non quilibet titulus sit habilis ad ejusmodi alienationes. Sed tota hæc distinctio firmo fundamento destituitur, proinde huic argumento inharere ulterius, superfluum judicamus. Alii ut *Lucius Verus in nova Apocalypsi pro Caesarum innocentia. Conf. 86. fol. 254. & Speidelius in Spec. Voc. Reichs-Städte* putant, ex eodem fere fundamento pro luitu Imperatorem jus vogtia & alia in civitatibus revocare posse, quos tamen satis jam refutavit *Vitriar. in Jur. publ. lib. 1. c. 18. §. 14. conf. Pseffinger. in not.*

§. IX.

Aliud succedit argumentum contra civitatum imper. libertatem: nimirum Principibus cæterisque Imperii Statibus licitum esse, in jura sua, quæ in liberas ipsi competunt civitates in territoriis suis sitas, inquirere, ex illo fundamento: quod illa, quæ sunt in territorio, præsumantur etiam esse de territorio. Sed uti hoc brocardicum, satis licet tritum & inveteratum, valde imbecillibus nititur rationibus, ita falsitas ejus statim apparet, si consideremus variam & multiplicem Statuum in Germania divisionem, & territoriorum inter se invicem undiquaque contingentes fines, ut hinc minime talem inde inferre possimus præsumptionem. Quod si enim dictum brocardicum pro norma præsumptionum hæc in re habere velles, satis inconvenienter inde consequeretur, magnos Germania Princi-

Præsumptio illa: quod est in territorio, præsumitur etiam de territorio, non est fundata, & sic nec libertati civitatis imper. obstat.

Principes & Status præsumi ad majores pertinere atque contra eos præsumptionem subjectionis stare, quod est falsissimum, uti egregie id demonstravit, dictumque brocardicum refutavit *Dn. Thomasius in dissertatione peculiari, de Inutilitate brocardici vulgaris: quæ sunt in territorio, præsumuntur etiam de territorio, quæ pluribus potest videri. Exempli causa consilium adducam, quod ex illo fundamento, re veluti jam conclamata, dedit Dn. Giovanni in Germ. Princ. lib. 7. c. 4. §. 10. in not. Goslaræ Patriæ meæ dilectissimæ, scil. quod civitas Principes Brunsvicenses, dum in horum territorio sita sit, comiter debeat habere, ne illi facili aliquo prætextu in præstatorum jurium momenta inquirerent. Nam præterquam quod negetur, civitatem hanc in terra jacere & undiquaque circumdari territorio Brunsvicensium, cum & aliorum Principum ditiones Goslaræ territorium adfines habeat; nisi velis asserere, hoc dici in alterius territorio esse, si finales habeant Status terras, quo supposito, Regis Borussia quoque ditiones & territorium in ducatu Megapolitano aut Brunsvicensi esse situm, dici posset, id quod foret absolum: Ita quoque nescio, quo titulo aut præensione, justa Serenissimi Brunsvicenses Duces Goslariam sibi addicere velint, aut possint. Nec illud admitto, quod autor *l.c.* affert, Goslariam ab Henrico Aucupe, non qua Imperatore, sed qua Saxoniam Principe, fuisse conditam, & proinde ex illo capite Brunsvicensibus jura sua in illam competere. Nam Goslaria ab Imperatoribus, & primo ab Henrico Aucupe fuit condita, jam tum ipso*

Impe-

Imperatore, non qua Duce Saxonix. *Dresser. de Urb. Germ. p. 277.* Id quod exinde quoque patet, dum sequentes Imperatores, non solum Saxonix, sed & Franconicx stirpis ibi habitarunt. *Lambertus Schafnaburgensis. Dn. Heineccius in Antiquitat. Goslariens. lib. 1.* Ab Imperatoribus porro sequentibus temporibus libertatem suam, ista per varia privilegia & confirmationes legitimo modo fuit consecuta. De cætero lubens confiteor, Goslariam rectè Serenissimos Brunsvicenses Ducés comiter habere & revereri, sed qua Tutores & Advocatos ihre Schutz-Herren / Directores circuli, Principes Imperii, vicinosque suos gratiosissimos, non qua pristinos superiores & dominos, quod nec hi ipsi prætendunt. Et hinc non dubito, nimis liberius à cit. Autore scriptum esse, quod modo memorati Principes facile prætextum inventuri sint, ad assertiones suas colorandas. Qui enim facili prætextu aliquem uti dicit, eum non recta via incedere, indicat; id quod tamen piaculum esset, à summe piis præsumere Principibus.

§. X.

Quod si porro contradictoribus libertati civitat. Libertati civit. imper. non obstat, quod contra domanium non valeat præscriptio. imper. levioris instar argumenti opponatur præscriptio temporis longissimi, quo civitates in possessione perpetua & momentanea fuerunt, tunc regulam illam adducunt ex jure civili: *contra fiscum, sive potius rerum, que sunt in patrimonio reipublicæ, nullam procedere præscriptionem. conf. hic Hoppius ad Instit. ad §. 4. n. 3. de usuc. & long. temp. præsc.* Verum quam fallacia sint argumenta à jure

C

à jure

à jure civili desumpta, in conclusionibus meri juris
 publ. jam satis monstravit *Lautensack in dissertatione
 de inepta ratione decidendi controversias publici juris
 ex LL. Romanis & Jure Canonico.* confer. *Dn. Mencken.
 in gymnas. Pol. Jur. dissert. 4. dissert. 1. §. 2. ibique cit.
 aut.* uti enim leges civiles à superiore & imperante,
 inferioribus & subditis communiter præscribuntur, atq;
 tunc, quando inter hos de ipsorum juribus contro-
 versia oritur, satis recte decisio ex latis legibus peti
 potest; ita illæ plane ad causæ decisionem nihil fa-
 ciunt, quando quæstio est inter pares imperantes, vel
 liberas republicas. Nec obstat, si dicere velis, Prin-
 cipes & Status Germaniæ ex pacto se subjecisse legibus
 civilibus, id quod exinde pateat, dum in supremis ju-
 diciis secundum illas jus dici solet. Nam verum qui-
 dem est, in causis Statuum secundum civilia jura, in
 supremis judiciis pronunciari; sed hoc casu civitates
 ex pacto quoque ad illa sunt adstrictæ, dum vel Reces-
 sibus, vel Pacificationibus Imperii sese ad illarum ob-
 servantiam obligarunt, & hoc respectu facile quilibet
 videt, civitates ut pares considerari, atque pro liberis
 haberi rebus publicis, quæ insuper in dictis pacifica-
 tionibus tam expresse quam tacite in possessione ju-
 rium sunt confirmatæ, atque sic ipsæ leges fundamen-
 tales, easdem pro liberis agnoscunt. Quod si vero abs-
 que respectu ad modo dictas pacificationes rem confi-
 deres, tunc utique immemorialis præscriptio maximi
 ponderis est habenda. Illa ipsa enim præscriptione
 efficitur, ut dominia rerum sint denique certa. *Dn.*
Thoma.

Thomasius in jurisprucl. divin. l. 2. c. 9. §. 191. seq. Rulpiæ Colleg. Grot. exeg. 3. p. 45. Ockel de præscript. immem. c. 7. §. 13. seq. Hac enim præscriptione negata, bellum certe omnium contra omnes continuum esset futurum, si semel per præscriptionem acquisita & possessa, quolibet tempore ab altero liceret repetere: quin nulla pacta & possessiones alicujus essent valoris, si contra fiscum nulla unquam procederet præscriptio; quod tamen contra omnia juris principia gentium & nat. esse, omnibus notum est. Imo ipsi Principes & Status hoc urserunt, & præscriptionem Gallix Regi opposuere, in comitiis. vid. *Londorp. act. publ. Tom. XI. p. 81. ad ann. 1680. Ockel. cit. loc.* Si igitur illo ipso jure Principes in alterum uti velint, ut ipsi eodem utantur, vel contra se uti patiantur, non solum civilis juris, sed & naturalis regula exigeret.

§. XI.

Quod si nunc de exercitio ipso horum jurium quæramus, statim civitatibus liber. adversarii objiciunt: Minorem necessario illarum esse auctoritatem quam cæterorum Statuum, cum in comitis imperii nunquam ad re- & correlationem admittantur, sed demum conclusionem ab Electoribus & Principibus facta, hanc ipsis ad consentiendum communicari, & ita illarum votum nullum habere effectum. Equidem negari nequit, quod Electores & Principes, priusquam sententiam suam circa decidenda negotia civitatibus imperialibus communicant, antea per re- & correlationem quærere soleant,

Queritur:
an votum
decisivum
civitat. in
comitiis
nullum ha-
beat effe-
ctum.

soleant, utrum inter se concordent? *Lebmann. in Cbr. 124. num. Grundveste des Heil. Römischen Reichs/ Part. 2. c. 6. Hagemeier de comitiis.* Sed inde tamen non statim conficitur, quod nullum illis competat votum decisivum, vel illud nullum habeat effectum. Si enim omni plane effectu destitueretur, ad consultationes adhiberi illos, necessum non foret, id quod tamen praxi comitorum contrariatur. Et licet eo in casu, quando Electorum & Principum collegium concordat, civitatum collegii dissensus nihil opererur; in eo tamen effectum sortitur, quando dissentientium uni civitatum collegium accedit, tunc enim altera pars, consentiente licet Cæsare, nullum conficere potest conclusum. E contrario, si uni ex consentientibus cum Cæsare accedat, dissentiente licet altero v. g. Principum collegio, consultatio & consensus civitatum in effectum deducitur. *vid. examen Juris publ. Brunnem. l. 4. c. 1. q. 14. ibique citati aut.* imo infinitis vicibus civitates ab utroque Principum collegio cum effectu dissentere, ut in comitiis, quæ referuntur à *Dn. Luning. im Deutsche Reichs-Archiv Part. Gen. I. Contin. zwenyte Fortsetzung verb. mit. und ist sonderlich &c. pag. 592. & p. 593. verb. auf den Frentage.* Ex quibus pronò nunc fluit alveo, Electorum & Principum collegia solummodo in ceremoniis aliquam habere prerogativam, dum scilicet hæc, prius inter se per re- & correlationem curent, ut conveniant invicem, atque tunc demum ad conclusionem conficiendam, rem civitatibus deferant. Sed quis exinde in universum voti decisivi negares

garet effectum? cum variante & deficiente aliqua circumstantia & cerimonia, rem ipsam negare, recte iudicandi contrarietur principiis. Prærogativam in multis civitates cæteris collegiis concedunt, nec aliud quid ipsi Electores & Principes ambiunt, uti ex propria eorum confessione apparet, quæ legitur in der Grundveste cit. cap. verb. daß ratione ordinis, gradus & dignitatis den Städten solches weitläufftig vor Augen zu stellen &c. Imo Instrumentum Pacis clarissime jam dudum quæstionem de voto decisivo decedit, atque hoc civitatibus tribuit. Quamvis negari nequeat, melius sibi adhuc civitates consulere potuisse, si ibidem disceptationem de re- & correlatione clarius decidi curassent. Denique nec distinctio inter Status superiores & inferiores quicquam superioritati territor. & splendori civitatum detrahit; ut enim taceam, hanc distinctionem novissimo satis imperii stylo fuisse introductam, nec cum observantia Germaniæ dem alten Reichs-Herkommen / in omnibus convenire; non solum sub ea appellatione civitates, sed & alii minores Status comprehenduntur, imo res adhuc sub contradictione versatur, cum protestando hi sibi huc usque prospexerint. Sweder. Jur. publ. part. Spec. 2. Sect. 2. cap. 1. §. 13. Kulpis. de leg. stat. c. 4. n. 12. Nihil igitur exinde civitatum superioritati territoriali decedere arbitror.

§. XII.

Ejusdem commatis habendum est illud argumentum, quando dicunt: civitates liberae imperiales in-

De controversia civit. lib. cum Nobilitate

C 3

Instru-

5
 Inmediata
 propter
 prælationē.

Instrumento Pacis postponi liberæ imperii Nobilitati; & quod eo ipso huic præ illis maxima competat prærogativa. Verum quidem est, in dicto Instrumento Pacis Nobilitatis liberæ mentionem fieri, *artic. 5. §. 28.* civitatum vero in sequenti demum §. 29. Sed salva res est; nam in eodem §. 29. jam tum pro civitatibus de iis, quæ ipsarum attinent jura, sub Statuum appellatione satis superque fuit dispositum; verba enim Instrumenti Pacis *artic. 5. §. 29.* clarissima ita sonant: *Liberæ imperii civitates, prout omnes atque singule sub appellatione Statuum Imperii, non tantum in pace religionis & præsentis ejusdem declaratione, sed & alias ubique continentur, &c.* Quod vero in *cit. §. 28.* Nobilitas civitatibus præponatur, id ob materiarum ordinem aliter fieri haud potuit: nam cuilibet notum est, ordinem hunc in Instrumento Pacis plerumque servari, ut prius generalia cujusque jura proponantur, dein specialia subjiciantur. Eodem modo in Instrum. Pac. *artic. V. §. 1.* mentio facta erat jurium civitatum generatim, naturalis igitur ordo requirebat, etiam de nobilitatis juribus generalia disponere. In sequenti vero §. 29. iterum de civitatibus, sed specialioribus disponitur juribus. Et sane, si ex ordine & modo proponendi argumentum velimus desumere, liberæ civitates majores habendæ essent maximis regnis & Statibus, de quorum juribus specialib. hinc inde in Instr. P. post civitates disponi videmus. Neutiquam ergo ullo exinde civitatibus præjudicatur modo, sive postponantur liberæ nobilitati imperii, sive præferantur, in quo aliquate.

quatenus dissentio ab *Autore Mediat. ad Instrum. Pacis Spec. 3. §. 29. p. 439.* Omnem præterea scrupulum hac in re eximit subscriptio Statuum & ordinis Nobilium, quæ in ipso Pacis Instrumento cernitur. Ibi enim civitatum prius sub generali Statuum appellatione in- subscribendo fit mentio, postea Nobilitas ponitur im- mediata. Quod consentientibus cæteris Statibus factum fuisse constat, dissentientibus licet illudque ægre ferentibus nobilibus immediatis. vid. *Pfanneri Histor. Pacis Westphal. l. 3. n. 97. & 98. Dn. Struv. in Syntag. Jur. publ. dissert. 21. §. 34. & 35.* Imo civitates jam antea pluribus vicibus, inprimis in conventu ordi- num correspondentium Norimbergensi anno 1619. contradictione Nobilitatis non attenta, præcedentiam præ hac obtinere. *Limn. J. P. lib. 6. cap. 3. n. Londorp. videatur Swed. in J. P. P. Spec. cap. 18. §. 13. seq.* qui con- troversiam totam in compendio recenset & varios au- tores, pro & contra sentientes, adducit.

§. XIII.

Uterius oppugnatores libertatis & splendoris ci- vitatum imper. instare solent, dicendo: civitates te- neri homagium præstare Imperatori; id quod denotet majorem subjectionem, quam qualis est a parte cæ- rorum Statuum, dum ipsi cives in civitat. liberis im- mediate Cæsari, vel hujus commissario jurare tenen- tur. Verum quidem est, quod à multis jam retro annis civitates ita juraverint, testante *Lebmanno in Chron. Spir. l. 4. cap. 10. conf. Dn. Coccej. J. P. Part. Spec. sect. 2.*

cap. 9.

Præstatio
homagii li-
bertati &
splendori
civitat. im-
per. nihil
detrahit.

cap. 9. §. 2. Sed inde singularis prærogativa præ cæteris Statibus minime colligitur, nec singularis nota subjectionis inde elicitur: nam & cæteri status Imperatori juramento semet obstringunt. Nec sufficit distinctio inter homagium & vasallagium, sive juramentum fidelitatis, quasi hoc solummodo à cæteris Statibus, illud à civitatibus Imperatori solum præstetur. Similes namque expressiones in illo inveniuntur, ac in hoc. Formulam juramenti exempli loco produco ex *Luningio im Teutschen Reichs-Archiv. Part. Gen. I. Cont. zivente Fortsetzung. p. 581. n. 115.* à civitate Ratisbonensi anno 1705. præstititi, ita ut tenor illius prælestus fuerit civibus, & postea hi illud juramento firmaverint, sequentem in modum:

Ihr/die ganze Gemeine und Bürgerschafft dieser der Römischen Käyserl. Majestät und des Heil. Reichs Stadt Regensburg/ sollet dem Allerdurchlauchtigsten/Großmächtigsten und unüberwindlichsten Fürsten und Herrn/ Hn. JOSEPHO, Römischen Käyser/unsern allernädigsten Herrn/ und allen seiner Käyserl. Majestät Nachkommen an Heil. Reich/ Römischen Käysern/ Königen/ als euren einigen natürlich rechten Herrn/ und höchsten Käyserliche Dbrigkeit hulden und schwören/ Seiner Käyserl. Majestät und denselben getreu/ gewehr/ gewärtig und gehorsam zu seyn/ Ihrer Käyserl. Majestät Frommen und Bestes zu werben/ und Schaden zu warnen/ und dieses alles und jedes insonderheit zu thun/was getreue und

und gehorsame Unterthanen Ihrer Käyserl. Ma-
 jestät und derer Nachkommen / als ihren aller-
 gnädigsten natürlichen rechten Herrn / schuldig
 und pflichtig zu thun seyn / alles getreulich und
 sonder Gesehrde.

Was uns aniezo ist vorgelesen worden / und
 ich wohl verstanden / deme will ich also ge-
 treulich nachkommen / so wahr mir GOTT
 helffe / und sein heiliges Evangelium.

ubi notatur:

Der Magistrat daselbst zu Regensburg und dessen
 Officianten auf den Rathhause nach der Ordnung
 haben dem Käyserl. höchstansehnlichen principal-
 Commissario, Cardinal von Lamberg und Bischof-
 fen zu Passau / im Nahmen Seiner Käyserl. Ma-
 jestät nur den Handschlag gethan / und niemand
 als die Bürgerschaft geschworen.

Ex hoc apparet, per verba: getreu/gehorsam, unterthan/
 cives Imperatori jurare & promittere omnem fide-
 tatem, subjectionem & obedientiam. Sed idem quo-
 que promittere tenentur ceteri Status in juramentis
 vasallaticis: daß sie getreu / gehorsam und gewärtig/
 auch wissentlich nimmermehr in dem Rath seyn wollen
 noch sollen / da ichts wider Ihrer Käyserlichen Ma-
 jestät Person / Ehre / Würde / oder Stand gehandelt oder
 vorgenommen wird / noch darein willigen / noch gehelen in
 einige Wege ic. Vid. illa Formula apud Dn. Luning. c. l.
 p. 580. & in Append. Exam. jur. feud. B. Strykii p. 513. n. 14.

D

Et

Et quamvis alii dicant, verba illa solummodo intelligi de fidelitate & subjectione vasallatica, civitatum vero promissionem significare subjectionem directam. *Abasv. Fritsch. Exerc. Acad. 2. P. 1. n. 85.* Hoc tamen negandum duco; nam idem sensus naturalis profuit ex his ac illorum verborum contextu. Imo si concederem, differentiam aliquam in verbis esse, effectus tamen commonstrat, in re ipsa nullam adesse. Non enim plus potestatis Imperator in terroriis civitatum exercet, quam in cæterorum Statuum, si minutissima quædam excipias, quæ plane subjectionem talem, qualis in imperante & subditis cernitur, non inferent. Et cum plurimæ in Imperio formulæ atque stylus, quo Imperator erga Status utitur, consuetudini sit adscribendus, nec semper ex verborum significato, effectus, quem hæc alias designant, tribuendus, hinc homagii civitatum lib. juxta juris publ. fundamenta, eadem ac reliquorum Statuum efficacia & ratio. *conf. Dn. Tuius in Jur. publ. lib. 4. c. 7. n. 20.* Nec illud quidquam ad rem facit, quod civitatum liberarum incolæ immediate Imperatori jurant, cum è contrario cæteri Status soli, non una cum subditis, fidem eidem adstringant. Ratio enim est in promptu: quod cives ipsi in lib. civit. collective sumpti immedietatem habeant, atque hinc omnes fidem & obsequium promittant, inprimis cum modus jurandi vetus in civitatibus retineatur, ob regimen democraticum, vigore cujus penes universum populum summa erat potestas. In cæteris vero Statuum ditionibus populus omnem potestatem supremam

mam in principem contulit, qui & exinde se pro universis subditis obligat. Imo quædam civitat. lib. plane nullum præstant Imperatori homagium, quod in Argentorato olim observatum, *Linn. J. P. lib. 7. c. 3. n. 10.* & de magistratu Ratisbonensi ex modo allato *Luningio* notum est, quippe qui solummodo manu stipulata. fidem promittit. Caterum, de ceremoniis, quæ in præstatione hujus homagii adhibentur, si quis certus fieri optat, inveniet illas, quantum quidem ad civitatem liber. Goslariam attinet, quamvis breviter à Dn. Heineccio descriptas, in dem kurzen Bericht/ von der in der Kaysersl. freyen und des H. Römischen Reichs Stadt Goslar/ anno 1705. solenniter celebrirten Huldigung/ quæ relatio adjecta est *ipfius Antiquitatibus Goslariefibus.*

§. XIV.

Hiscæ ita præsuppositis, vix argumentum restare obrectatoribus juriam civitatum imper. spero, quo vel ipsam territorialem jurisdictionem, vel splendorem illorum possint infringere; sed potius nunc licebit inde deducere jus ipsum circa sacra, ejusque exercitium. *B. Hertius in dissert. de superioritate territ. §. 13.* Est vero jus sacrorum, uti in superioribus monitum, pars summæ in republ. potestatis. Inde cui summa in illa competit potestas, ei quoque recte sacrorum jurium exercitium attribuitur. *Schilter de Pace relig. c. 8. §. 13.* Vi hujus juris ille sibi potest vindicare suæque directioni subicere quicquid docendi, monendi, & à cætu fidelium excludendi fines egreditur *Dn. Coccejus*

Fundamentum verum exercitii juris circa sacra explicatur, & falsum rejicitur. Hinc connexio cum §. 7. antec.



Jur. publ. cap. 18. Sect. 1. §. 4. in summ. conf. Dn. Thomaf. in Not. ad Huber. de jure civit. liber. lib. 1. sect. 5. cap. 2. lit. 2. Hinc cum Status Imperii & liber. civitat. habeant in territoriis suis summæ potestatis administrationem, illud quod hujus est annexum, iis denegari non potest. Sed cum in imperio nostro variæ extent leges fundamentales, pacificationes & pacta, quibus unius vel alterius liberum exercitium suorum jurium restringitur, hinc is, qui caute vult incedere in illius demonstratione, recte faciet, si pro fundamento territorialem jurisdictionem, una cum istis legibus fundamentalibus, vel, quod loco omnium fere sufficit, Instr. Pac. Westphalicum supponat. Regulariter autem quælibet summa potestas præsumitur esse in possessione, hinc tam diu illa præsumptio fundamenti locum obtinet, donec monstratur contrarium, & quod vel per leges publicas, vel per pacta aliud sit introductum. Idem de civit. lib. dicendum, cum in possessione omnimodæ libertatis fruendique exercitio suorum regalium repellantur: Inde qui illorum aliqua negat, is vel per pacta, vel leges fundamentales contrarium docere tenetur. In ipsa autem definitione & explicatione superioritatis territorialis minime assumendum illud, quod aliqui pro axioma venditare satagunt: sc. quod Status vi superioritatis territor. tantum possint in territoriis suis, quantum Imperator in Imperio. Hoc enim, quamvis à multis approbatum, axioma, non omni caret difficultate. Tali namque modo Status & lib. civit. imp. nil amplius valerent exercere circa sacrorum jura, quam

quam Imperator in Imperio; nunc vero constat, quod Imperatori, tanquam catholico, parum vel nihil circa sacra disponere licitum sit. *Uffenbach in tract. de jud. Cas. aul. c. 10. sect. 2. subf. 1. n. 1. in fin.* & ita quoque intelligendum puto. *B. Stryk. de jure papali principum Evangelicorum cap. 1. §. 11.* Atque hinc plus licere tum Statibus evangelicis, tum civitatibus imperialibus protestantibus, quam ipsi Imp. facile liquet. Nec accurate illi procedunt, qui Protestantium jura circa sacra, ex jure pontificio, vel jure episcopali deducere contendunt. Non solum enim principiis cum nostra religione haud convenientibus utuntur, *Dn. Thomafus in caut. circa praecognita jur. eccles. c. 23. ibique passim;* sed & ipsum jus episcopale insufficiens praebet argumentum summæ potestati, atque tela subministrat, quæ adversarii in nos detorquere possunt, uti accurate demonstravit *Dn. Böhmerus in dissertat. de jure episcopali Principum Evangel. cap. 1. §. 4. & 5. & c. 2. §. 6. p. 38. seq. conf. Strauch. dissert. Acad. 3. §. 36. in fin.* Et quamvis in ipsis legibus fundamentalibus, *Pacificat. nimirum relig. de anno 1555 & Instrum. Pacis Westphal. artic. 5. §. quantum. 12. 14. 16.* jus circa sacra episcopali nomine veniat, facile tamen apparet, concipientem horum pactorum locutum fuisse pro more & opinione seculi, nec docentis sustinuisse vices. Neque illos meliora protulisse puto, qui idem sacrorum jus civitatibus privilegio acquisitum esse malunt, prout facit *Knipschild de priv. civ. imp. lib. 2. cap. 3. §. 1.* Nam nullum tale privilegium protulit, nec aliàs quicquam de tali fuit

auditum, cujus vigore protestantibus civitatibus hæc potestas circa sacra fuerit tributa, nisi Instrumentum Pacis pro privilegio, & quæ in illo disponuntur instar privilegii quis habere velit, qua ratione omnium Statuum jura essent privilegia, quod tamen cum jur. publ. principiis pugnat.

§. XV.

De forma
liber. civit.
imper. ejus-
que respectu
ad exercitiu
juris circa
sacra.

Ut vero absque impedimento de ipso exercitio jurium circa sacra differere possimus, prius indicare placet diversam civitatum imp. liber. formam. Dux plerumque regendi formæ in civitatibus inveniuntur liberis, aristocratica nimirum & democratica. In posteriori event, ut membra Senatus, illique penes quos regendi, consultandi & decidendi est autoritas, ab universo constituantur populo, & ut plurimum totus populus in varias tribus solet distribui, id fere cum prima Romana republ. commune habens. Eliguntur ex ipsis tribubus, qui tanquam præfectorum sive tribunorum plebis locum & jura tribuum suarum in consultando & concludendo observent. Ex illis tribubus iterum eligi solet magistratus, qui separatim conficit collegium. Magistratus hic speciatim leges condit, jus dicit, fœdera pangit, bellum init, onera civibus indicit, consultat de reipublicæ salute, justitiam administrat, politiam curat, cæteraque reipubl. jura exercet, non exclusis tamen modo dictis tribubus, quæ in consultando plerumque in seperato conclavi conveniunt. Uno verbo, magistratus simul cum his omnia

omnia & singula jura ad jurisdictionem territorialem spectantia exercet. Talis est forma Hamburgi, Goslaræ, Northusæ, &c. vid. *Topographia inferior. Saxonis.* Hac igitur existente, jus sacrorum quoque regulariter omnibus competit non tamen singulis, sed collective sumptis: nec magistratus solus, sed & tribus & reliqua pars civium illius exercitio gaudent, de illo disponunt, consultant. & unanimiter administrant. Hoc etiam modo leges circa sacra & religionem condunt, consistoria constituunt, ministros ecclesiæ vocant atque designant, & omnia sacrorum jura exercent. *Hincque tam diu pro his stat præsumptio, quod sint in possessione exercitii jurium circa sacra, donec ab altera parte probetur contrarium.* Dantur tamen civitates liberæ, in quibus ex pacto vel consuetudine uni solummodo parti à civibus administratio est concessa, ita ut vel solus magistratus separatim fruatur administratione sacrorum, vel particularia quædam circa sacra jura quibusdam conferantur, e. g. ministrum ecclesiæ eligendi &c. Verum hæc est exceptio à regula, regulariter enim universus populus præsumitur gaudere exercitio horum jurium, & contrarium asserenti ejus incumbit probatio. In priori vero scilicet aristocratica forma magna à democratica cernitur differentia circa constitutionem personarum, quibus reip. gubernacula conceduntur. Hic enim non ex universo populo eliguntur, qui cæterorum quasi caput constituunt, vel tribunorum & magistratus officia gerant, sed *ἀριστοι* sive ex patritiorum genere oriundi sibi illa

illa officia & munera vindicant. Hi magistratum constituunt, leges condunt, jurisdictionem administrant, universum populum repræsentant, & generatim in exercenda jurisdictione ea sibi attribuunt, quæ antea de universo populo prædicavimus. Talis esse refertur Status Norimbergæ, Ulmæ, &c. vid. *Dn. Buddeus in Lexic. histor. univers. voc. Nürnberg und Ulm.* Et quamvis fortassis pauci in his civitatibus ex cæterorum civium numero una in senatum admittantur, illorum tamen votorum paucitas vix ullum habere potest effectum. Ubi igitur memorato jam modo Status reipubl. est aristocraticus, nil obstat, quo minus hanc regulam suppeditemus: *Pro magistratu certam & omnimodam pugnare præsumptionem, illum esse in possessione exercitii jurium omnium & singulorum circa sacra, tam diu, donec contrarium ab asserente & contradicente probetur.* *Besold. in discurs. de jur. civit. imper. in immut. rel. qui exstat in discurs. de monarch. c. 4. n. 19.* Tertia Status forma, in quibusdam civitat. liber. reperitur, quando tum ex Patritiorum ordine, tum ex populo simul designatis & electis personis reipubl. gubernacula traduntur. Mixta merito appellatur illa forma, eò quod ex patritiorum & plebis ordine dictum corpus constituatur, atque ibidem tam magistratus superior plerumque ex Patritiis consistens, quam cæteri tribuum rectores, in exercitio jurium omnium concurrunt, qualis, nisi me animus fallit, est forma reipublicæ Lubecensis. In ejusmodi jam reipubl. forma itidem præsumendum, quod tam Patritiis quam

quam plebi aut hujus tribunis exercitium juris circa sacra competat, quam diu pactis & recessibus aliud non fuit dispositum. Vide de universa hac materia *Knipschild. de priv. civ. lib. II. c. 3. n. 125.* qui tamen de tertia hac & ultima status forma, parum vel nihil tradidit.

§. XVI.

His præmissis, ipsum exercitium jurium circa sacra aggredimur, nec diu solliciti erimus in recitandis illius fati & historia, cum & *supra* §. 6. jam nonnulla hac de re monuerimus, sed illam solummodo duobus verbis indicabimus. Nimirum, cum variis turbis atque bellis Pontificii impedire non poterant, quo minus Protestantium ordo liberum suæ religionis exercitium, per transactionem Passav. & pacificationem Augustanam ipsis tributum de anno 1555. obtineret, & Pontificis auctoritatem ex ecclesiis suis ejiceret, consequebatur, ut omnes civitates liberæ Imper. protestantium religioni addictæ, vi istarum pacificationum, exercitium circa sacrorum jura in effectum deducerent, prout hujus expressa fit mentio in §. 27. *dicti Recessus*. Nulla igitur constitutio a Pontifice vel Episcopis catholicis procedens amplius servabatur, nec ulla illorum aut capitulorum amplius autoritas attendebatur, sed protestantes magistratus consistoria instituebant, ministros ecclesiæ vocabant, ordinationesque ecclesiasticas præscribebant, in jura sua ex dicta pacificatione sibi competentia indies magis magisque inquirentes; haud obstantibus moli-

Historia & fata exercitii juris circa sacra protestantium.

E tioni-

tionibus, machinationibus interemisticis & vociferationibus pontificiorum, tam cleri quam caeterorum, qui vel ipsas transactiones & pacificationes injuria extortas nominabant, vel inversam, tum protestantium juribus contrariam, tum paci publicæ, affingebant explicationem, cujus exemplum prabet *Autonomia personati Burgkardi, cujus scripti verum auctorem Possévinus lib. 1. select. Bibl. p. 125. & Auctor Parthenii litig. l. 1. c. 6. n. 9. vocant Andreæ Erstenberger/ aliam tamen & magis probabilem opinionem in Bibl. Jur. tradit. Dn. Struv. c. 14. S. 36.* Quisquis autem sit istius libri, jam non ubivis obvii, verus conditor, intendit is imprimis demonstrare, pacem religiosam vi esse extortam, nec protestantibus ex illa competere jura, quorum exercitium sibi vindicarent. Sed satis jam ille & sæpius refutatus, & cæcitate suæ convictus est a variis, inter quos inprimis nominandus *Dommarcin von Disingau zu Siebenthal* cujus tractatus titulus est: *fürge information und Einleitung von der autonomia &c.* quem vid. cap. 14. Ita ergo absque dubitatione post dictam pacem religiosam civitates, uti monitum, sibi exercitium circa sacrorum jura vindicabant. Id quod tamen pontificii nullo modo ferre poterant, quin potius per nova sufflata & recrudescencia bella, ab initio seculi præteriti, quærebant non solum exercitium circa sacrorum jura, sed & ipsa bona ecclesiastica ex manibus & animis protestantium extorquere, cujus varii modi & historia a variis recensetur, uti a *Schil-*
tero

verò in tract. de Pace Rel. Seckendorffio in Hist. Lube-
ranis. Lehmanno in act. Pub. de Pace Rel. conf. Hort-
leder. de caus. bell. Germ.

§. XVII.

Tota denique Germania, cum bellum exitiale
amplius sufferre non posset, & pontificii semetiplos
compelli sentirent, Statuum Imperii omnium con-
sensu, tam ex pontificiorum, quam protestantium
parte, de exercitio religionis in *Instr. Pac. Westf.*
art. V. & VII. fuit dispositum, illudque plenario jure
Protestantibus attributum, pace religiosa ejusve con-
firmationibus utriusque religionis consensu sancitis,
pro fundamento suppositis. An vero consultum fue-
rit, pacem religiosam in *Instr. Pac.* pro basi substruere,
merito dubitandum, cum *Authore Medit. ad I. Pac.*
ad art. V. §. 1. lit. a. Erat quippe pax religiosa multis
in capitibus Pontificiis longe favorabilior, quam Pro-
testantibus, atque hinc illis anfa data fuit, ut, quo-
ties dubium aliquod circa explicandum *Instr. Pacis*
obveniret, statim recurrerent ad Pacem religiosam
tanquam primum fundamentum, quo controversiæ
religionis niterentur, atque sic Protestantes in mul-
tis circa executionem jurium in *Instr. Pac.* conten-
torum læderentur. Sed missis his, rem ipsam ulte-
rius prosequamur. Et sane, cum civitates sub Sta-
tuum appellatione in §. 1. *dicti Art. V. I. P.* compre-
hendantur, non solum jus circa sacra, sed & hujus
exercitium, absque quo illud nullius esset pretii, iis

Instrum. Pa-
cis finem
disidii im-
posuit circa
exercitium
sacrorum
jurium.

Tripliciter
consideratur
exercitium
juris
circa sacra
Primo in
introducenda
religione.

aperte addicitur. Spectatur vero illud tum in introducenda, tum reformanda, tum etiam protegenda religione. Et quidem quoad novam introducendam religionem, eo minus hujus curam habere debemus, cum in universo Germ. imperio, præter tres istas receptas, plures & diversas nemo Statuum pati in suo territorio teneatur, imo plane prohibeatur ullam tolerare, per verb. *Instr. Pac. art. VII. §. 2. in fin. sed præter religiones supra nominatas nulla alia in sacro Romano imperio recipiatur vel toleretur.* Licet aliam horum verborum expositionem noviter proponat *Dn. Titius in Jur. Publ. l. 3. c. 6. §. 40.*

§. XIIX.

Secundo in
reformanda.

Quod porro ad exercitium juris reformandi religionem attinet, clare disponit *Instr. Pac. art. V. §. 9. & 30.* quod illo Status & liberæ Imp. civitates protestant. gaudere debeant, ita tamen, ne subditi diversæ religionis, qui anno 1624. quacunquæ anni parte fuere in possessione exercitii sacrorum suorum, in ea turbentur, sed restituantur, si ex ea sint dejecti. *§. 2. & 31. dict. art.* Quod si vero isto tempore exercitium suæ religionis non habuere, cogi neutiquam possunt ad capeffendam religionem supremæ potestatis reformantis, sed habent beneficium emigrandi extra territorium cum omnibus bonis, liberis, uxoribus, familiaque intra quinquennium, si scilicet in possessione exercitii dicto anno 1624. non fuerint constituti: vel intra triennium, si futuro tempore diversam a territorii domini religionem profiteantur.

Art.

art. V. I. P. §. 37. vid. *Rbet. Jur. Publ. l. 2. tit. I. §. 20. segg.* Magistratus igitur in civitatibus liberis Protestantium, vel solus, vel pro statu reip. cum ceteris concivibus, potest pontificiæ religioni additis indicare, ut vel religionem suam amplectantur, vel extra territorium migrent, secundum modo dicta. Nolentibus sub pœna comminatione de novo id imperare, & deniquè executionem contra illos per ejectionem decernere valet. Si vero possessionem exercitii, vel publici vel privati, in qua anno 1624. fuerint constituti, præendant, hæc, cum sit facti, ab illis debet probari: Præsumtionem enim pro se habet magistratus, dum reformationem instituit, quod jure suo territoriali rite utatur. Hic quæritur, quid dicendum, si in libera civitate Senatus anno 1624. ex utriusque religionis personis compositus fuerit, an necessario eodem personarum numero & differentia quoad religionem constituendus sit, atque perpetuo conservandus? Hanc quæstionem aliqui affirmant, *per §. 37. J. P. art. 5.* Nos certo modo negandam putamus, ex eo, quod non sufficiat, subditum aliquem diversæ religionis anno 1624. in ditione alicujus Status habitasse, sed requiratur insuper, cum domicilium adhuc habuisse pacis promulgatæ tempore, nisi fortassis pacta vel statuta adsint, quorum vigore unaquævis Senatus pars in possessione sui numeri defendatur. vid. *Aurb. Medit. ad J. P. d. l. p. 627. & 628.*

Qui in exercitii juris reformandi civitat. lib. Protest. licitum sit erga Pontificios.

§. XIX.

Quid ex
summa-
ter car.
lib. protest.
s. quate-
s. sc. du-
plicem con-
stituunt re-
ligionem.

Quoad Protestantem civitates lib. inter se con-
sideratas, & quatenus in duas scinduntur religiones,
Lutheranam scil. & Reformatam, specialia quaedam
constituta esse novimus. Lutheranorum equidem
& Reformatorum partes, cum idem interesse in eo
haberent, ut sese contra pontificiorum invidiam de-
fenderent, attamen quæ de exercitio juris reforman-
di in genere erant disposita, non in universon ad
Reformatorum conservationem, sed partim destru-
ctionem facere videbantur. Quamvis enim in eo con-
venirent, quod jam sub nomine Protestantium & au-
gustana confessioni addictorum venirent, nihilomi-
nus qualibet pars sibi facile persuadere poterat, al-
teram ex jure reformandi quaesturam, suam potius
religionem in suo territorio introducere & dissen-
tientes expellere; Variis igitur hinc inde factis pro-
positionibus, de quibus videantur *Pfanner. in histo-
ria Pac. West. & Auth. Med. ad J. P. art. VII. §. 1. lit. g.
p. 341.* tandem omnium Statuum voluntate ita fuit in
J. P. Art. VII. dispositum, ut tam Reformatam quam
Lutheranæ religionis subditi maneat in possessione
exercitii suæ religionis in qua tempore sancitæ pacis
erant constituti, nec cuiquam Statuum liceat uti in
alteram partem jure reformandi, id quod indicant
verba: *de presenti. in J. P. d. l. conf. Auth. Medit.
p. 344.* Quodsi vero altera pars eo tempore in pos-
sessione non fuerit, non ex jure, sed ex mera gra-
tia supremæ potestatis, petenti liberum conceditur
reli-

religionis suæ exercitium. Hinc nec civitates lib.
imp. Lutheranae religioni addictæ possunt territorii
suis, vel noviter acquisitis vel veteribus Reforma-
tos expellere, qui dicto tempore fuere in possessio-
ne. Quodsi vero jam ante tempus latæ pacis &
anno 1624. Reformati fuerint in possessione, putant
nonnulli, supremam potestatem Lutheranam, neces-
sitatem emigrandi eis posse imponere. *Rbetius in*
Jur. Publ. lib. 2. tit. 1. §. 47. Verum analogiæ legis
& rationi magis convenire videtur, possessionem
ante sanctionem pacis & ab anno 1624. Protestantes
æqualiter obtinere, cum illa generatim *art. V. omnes*
respiciat status. *conf. Dn. Titius Jur. Publ. lib. 3. cap. 6.*
§. 45. In casu igitur, ubi altera pars parochiam ali-
quam in alterius ditione constitutam habet, plurima
jura circa sacra summa potestas in alteram partem
exercere non potest, imprimis circa ea, quæ vel ad pro-
movendam, vel suprimendam religionem facere
possunt. Vocatio namque ministri ecclesiæ in hoc
casu, non magistratui diversæ religionis, sed parochiæ
vel communitati, uti textus *art. VII. §. 1. J. P.* loqui-
tur, competit, magistratus tamen illum confirmat.
Et in genere quæ præjudicium facere possunt alterius
partis religioni, si altera jure magistratus gaudens cir-
ca illam dispositura esset, secundum principia suæ
religionis, non magistratui, sed communitati attri-
buenda sunt. Laudari inde summopere debet isto-
rum Statuum pietas & religio, qui, cum viderint,
alios status in suis territoriis reformatione præter jus
uti,

uti, & a sua fide discrepantes eicere, eis denunciant, se idem in territoriis suis facturos & eos, qui ejusdem religionis cum reformatibus sunt, ejecturos, si à cœpta reformatione non desistant, atque sic quasi repressaliarum jure sibi & parti læsæ prospiciunt: id quod jam aliquoties in imperio hæud vulgarem habuit effectum. Quamvis hanc ipsam retorsionem non ex omni parte posse justificari, putet *Dn. Titius cit. loc. §. 47.*

§. XX.

An reformatio civitatis lib. protest. sit consulti.

De utilitate quando quarimus, & an consultum sit civitatibus lib. Prot. catholicæ religionis addictis finibus suis expellere? in genere id quidem asseri nequit. Cum enim inprimis intersit reip. ut hæc magis magisque civibus repleatur, facile utique apparet, non adeo inepte dici, quo liberius in rep. aliqua exercitium variarum religionum permittitur, eo magis salutem civium promoveri & civitatem augeri atque ditiozem reddi, quod variis exemplis comprobatur. Cavere tamen sibi debent protestantes civitates, ne discrepantes a sua fide in civitate nimium cristas erigant, nec in imperantium locum extollantur, sed nomine subditorum sint contenti, cum aliàs quamplurimis detur occasio discordiis & altercationibus. Inprimis civitatibus, quæ in territoriis pontificiorum sitæ sunt, aut ad minimum cum illis contiguos habent fines, id observare convenit. Hi namque quo magis odium fere naturale gerunt erga protestantes, eo magis omnibus modis illorum, dammum

damnum & interitum quarunt, idque ex nimia libertate clericorum provenit, quæ his à superioribus suæ religionis indulgetur. Adeoque dum licitum sibi cuncta esse putant, contra protestantes clamitare, illosque injuriis proscindere nunquam cessant, imo diabolo illos pejores delineant. Magistratibus ergo tunc protestantibus incumbit, subditos suos quovis modo contra insultus illorum defendere. Et in eo quidem recte protestantes à pontificiis sibi cavent, quando vel inter cives eos non recipiunt, vel illorum auctoritatem atque attentata coercerent & supprimunt. Non vero non hic notare possum quarundam civit. lib. pertinaciam, cum illis propositum fuerit priori & hoc seculo, quosdam ex Gallia profugos & reformatæ religioni addictos intra muros suos recipere, unde ad minimum numerus civium magnam partem fuisset auctus, commodumque civile promotum, cum certum sit, Gallorum gentem laboribus esse assuetam; Tanta nihilominus constantia obstitere nonnullæ, ut potius pristino suo statu contentæ vivere futurasque divitias respuere, quam illos intra pomœria admittere voluerint. Prætendere quidem solent, tales receptiones civium, commo- & utilitati Germanorum, nec non commercio contrarias esse & noxias; sed hoc magis derisionem quam refutationem meretur, cum in multitudine civium alter alterum porius excitet, & ad laborem urgeat, quam impediat. Ut taceam, hic sæpius iisdem, sub maximis oblationibus & promissione pecuniæ

conuicta, propositam fuisse reformatæ religionis intro-
misionem, quam tamen nunquam non respuere.

§. XXI.

Tertio con-
sideratur
exercitium
juris circa
sacra in ad-
ministranda
religione

nimirum in
Constituto-
riorum ere-
ctione.

Considerato nunc jure reformandi, tam respe-
ctu pontificiorum, quam protestantium inter se
iplos, de recta administratione & exercitio juris circa
sacra, quædam erunt dicenda. Ita vero hæc admi-
nistratio comparata esse debet, ut semper in reip.
& ecclesiæ tendat salutem. Exempla quædam pro-
ponemus, quibus res fiet clarior. Constitutio scil.
Consistoriorum absque dubio pertinet ad admini-
strationem & exercitium hujus juris, atque solet
ut plurimum summa potestas in republ. hisce deman-
dare curam earum rerum, quæ alias ad ipsam per-
tinet. Generatim quidem nonnulli, inter quos est
Carpz. Jurispr. consist. lib. 1. def. 1. putant, consisto-
riorum constitutionem adeo esse necessariam, ut usum
illorum in rep. christiana plane negligere nequeamus,
ideo quod & ipse imperator Justinianus agnoscat
maximam illam, inter sacerdotium & imperium dif-
ferentiam. Quæ quidem sententia fluxit ex erronea
de episcopatu, nostris statibus competente, hypothesi,
quam tamen insufficientem esse, supra monuimus.
*conf. Dn. Böhmer. in Schiltero Illustrato lib. 1. Tit. V.
Memb. 1. §. 6.* Imo Justinianus hac in parte ad deci-
sionem parum facit: ille enim secundum principia
pontificiorum, quorum dogmatibus imbutus erat,
taliam locutus est, quæ à protestantibus merito pro in-
conuenientibus habentur. Vid. *Dn. Thomafius in caut.
circa*



civ. a jurispr. eccles. cap. XVII. passim. Et in not. ad Huber. de jur. civit. l. 1. f. 1. cap. 1. Et hinc certum est, consistoriorum constitutionem, in tali forma, qua ut plurimum in Germania spectantur, non esse necessitatis, nec in civitatibus Lib. imp. sed voluntatis, cum omnia illa quæ non spectant ad docendum, monendum, sacrorumque actuum administrationem, libere possint a magistratu ipso exerceri, etiam in Clericos, cum & hi subsint potestati seculari. *Dn. Coccej. in diff. de fundata in territor. potest. Tit. 3.* Quodsi vero summæ potestati illorum placeat erectio, tunc illi incumbit curare, ut legitime constituentur, id quod consistit, tum in electione & denominatione certarum personarum hisce judiciis præficiendarum, tum in condendis ordinationibus, præscribendoque modo procedendi, causarumque determinatione. Personæ plerumque solent esse tam clerici, quam laici. Equidem in multis civitat. lib. clerum ægre ferre constat, si personæ seculares una cum illis sedeant in consistoriis, atque non in omnibus ad illorum voluntatem *to Fiat & Amen* dicere velint. Nihilominus tamen quolibet modo civitatibus suadendum, ut ex Jurisperitorum ordine quosdam in consistoria adsciscant: hac enim ratione in multis confusio & iniquitas evitabitur, in illis præcipue causis, quæ aliquid ex processu civili secum trahunt, probationemque vel demonstrationem postulant, ubi deficientibus Jurisconsultis iniquitas vix evitabitur. Multa namque quotidie occurrunt, quæ non nisi ex genuinis

juris principiis dignosci possunt & dijudicari, atque, cum sint partes essentielles processus, omitti nequeunt. Non habent ergo quod conquerantur Theologi in civitatibus liberis Imp. si jurisperiti quoque consistorialium munere, ex præscripto summæ potestatis, fungantur. Videmus hoc fieri in consistoriis aliorum majorum statuum, Regum, Electorum & Principum; quidni ergo (ut à majori ad minus argumentari liceat) in civitat. lib. Imperialibus? In primis cum *Mevius p. 4. dec. 4.* ulterius progrediatur, nec necessarios esse Theologos in consistoriis putet, quod suo relinquimus loco.

§. XXII.

Quomodo,
& à quo
consistoria
in civit. lib.
debeant in-
strui.

Constituto ita recte & legitime consistorio, non adeo commodè illud officio suo defungi poterit absque ordinationibus consistorialibus. Hinc magistratui incumbit, illi præscribere & promulgare leges & ordinationes consistoriales. *Abasv. Frutseh. ad tr. A. Fabri de rel. reg. in rep. l. 2. c. 9. in fin.* nec ullo modo ipsum consistorium hoc jus sibi potest attribuire. Cujus enim summa est potestas, istius quoque est imperare, leges ferre, ordinationes præscribere, & quarum causarum decisio penes consistorium esse debeat, præcipere. Mediantibus ergo ordinationibus probandum, in quantum consistoriis illarum tractatio fuerit concessa. Neque protestantium consistoria sine discrimine ad se trahere valent omnia negotia, quæ olim & ante reformationis tempora ad judicia ecclesiastica pertinere, cum ex alia plane, uti

uti jam supra dictum, hypothefi confistoria noſtra ſubſtantiam capiant. Et hinc vix mihi perſuadere poſſum, neceſſario & regulariter omnes illas cauſas ad confistoria referendas eſſe, quæ reſenſentur ex *Webero de confiſſ. c. 27. p. 336. à Brunnemanno in Jur. Eccl. lib. III. c. I. §. 37.* niſi hoc ita intelligas: plerumque hoc in confistoriis proteſtantium obſervari ſolere, cauſasve, quæ jure Can. in confistoriis fuere tractatæ, noſtro quoque tempore iis attribui, id quod de cauſis matrimonialibus in diſſertatione *Viri Excellentiffimi Dn. Bartii Præceptoris mei Venerandi, de juramento judiciali contra matrimonium non admit- tendo §. 10. me reſpondente*, latius fuit expoſitum. Si nunc conſtitutio & attributio cauſarum rite facta fuerit, quæritur porro, an finem cauſis & litibus illis confistoria imponant, quæ coram iis ventilantur, an vero partes litigantes beneficio ulterius progrediendi gaudeant? Quid jure Can. hac in re obtineat, noſtrum nunc non eſt inquirere: Ibi enim non ſolum variæ adhuc permiſſæ ſunt & præſcriptæ juris inſtantiæ, ſed ipſe quoque Papa ſemper ita concurrit, ut quis, ſi velit, immediate Pontificem, non obſervatis intermediis iudicibus, poſſit adire. In imperio noſtro Germ. duo exiſtunt ſuprema appellationum iudicia, in quorum ſententia omnes imperii Germ. ſtatus & cives acquieſcere tenentur, niſi vel ſtatibus quibusdam privilegium de non appellando ſit conceſſum; vel cauſæ ſint exceptæ, idque aut per ſe, aut certo reſpectu. Per has intelligo eas, qua-

De appella-
tione à con-
fistoriis il-
lis.

rum dijudicationem sibi soli Imperator vindicat, feudorum scil. majorum *der Fahn-Lehn*. Inter causas vero perse exceptas merito referuntur illæ, quæ ad jus sacrorum pertinent, hæ enim cognitionem & jurisdictionem potestatis supremæ territorialis non egrediuntur, quippe cui jus circa sacra ejusque exercitium competit, quodve, uti dictum, in terris protestantium principum, ut plurimum consistoriis mandari solet, a quibus tamen ad supremum iudicium non datur provocandi licentia. In civitat. liberis Imperii itidem consistoria ex jure canonico sunt retenta, hinc & illæ causæ, quæ secundum illud jus ad consistoria referebantur, hodie nunc in illis dijudicantur. Quod autem supremam attrinet instantiam, illa in civitatibus istis non datur, quoad causas hæc ecclesiasticas, sed consistorii sententia pro ultima & finali habetur. In nonnullis tamen civitatibus ad Senatum, speciatim ita dictum, appellatio conceditur, sed rarissime. Nihil vero refert hoc in casu, quod ita causa ecclesiastica coram iudicio seculari terminetur: Nam & in universum talia negotia, quo minus in tali iudicio decidentur, nihil prohibet, modo hæc sit summæ potestatis in republ. voluntas: Nec desunt exempla civitatum, in quibus hoc ita servatur, veluti Hamburgi, ubi in causis, de quibus consistorium alias cognoscit, magistratus ipsemet jus dicit. Ex quo nunc certum est, nulla ratione cives conqueri posse, si causas suas ecclesiasticas per appellationem, licet etiam immediate,

diatè, ad secularia judicia devolvi videant. Quæ antea diximus de causis ecclesiasticis, per appellationem ad suprema imperii judicia non devolvendis, ita intelligenda sunt, si ipsarum causarum ecclesiasticarum decisio expetatur: Si vero de turbatione possessionis in exercitio juris circa sacra quærat; tunc illa causa, tanquam civilis, ordinaria via, interveniente, nonnunquam iudicio austregarum, ad suprema in imperio germ. judicia recte defertur. vid. Instr. Pac. §. 53. & 54. pr. art. V. Gailius obs. I. n. 3.

§. XXIII.

Quodsi ergo ulterior extra territorium in causis ecclesiasticis provocatio a civitatibus liberis non permittitur, annon alia quadam via recursus detur vel ad proxime vicinum Principem vel Directorem aut Ducem Circuli, vel ad ipsum Imperatorem? non inconcinne quaritur. Et sane, cum certum sit, nulli in territorio exercitium juris circa sacra, quam summæ potestati competere, civitates quoque liberæ Imp. nemini quicquam de exercitio jurium circa sacra permittere tenentur, nisi quis illud sibi competere, vel per pacta & transactiones, vel longo usu, demonstrare valet. Neque tamen plane inconveniens est, alium quendam principem in alterius ditione quibusdam frui juribus circa sacra. Sic enim Dux & Episcopus Martisburgensis, tanquam Procellarius Academiæ Lipsiensis, jus habet constituendi Vice-Cancellarium in illa. *Vid. Nachricht der Stadt Leipzig* t. 2. p. 49. & 50. Et quid jus patronatus

Annon ulterior provocatio extra territorium detur in causis eccles.

tus in alterius territorio, aliud est, quam pars exercitii juris circa sacra? Atque ita absonum haud esset, si per pacta vel alio quodam titulo vicinus princeps in civitate lib. adjacente, quicquam exercitii circa sacra sibi attribuat, eodem modo ac circa secularia nonnunquam negotia, principes in civitatibus liberis jura quaedam, per pacta vel consuetudine acquisita, exercent. Ex quo tamen Principibus istis nulla praecivitatibus liberis eminentia tribuitur, inprimis cum idem quoque inter ipsos Principes non raro eveniat. Quid? quod civitatibus quoque, in aliorum statuum territoriis, saepe certa competant jura, sine diminutione autoritatis eisdem debita. Absque titulo igitur legitimo principes vel Status vicini in civitatibus lib. exercitium jurium superioritatis sibi arrogare neququam, nec subditi causas ecclesiasticas ad alium deferre possunt; Non per modum appellationis, qui enim superior non est, ad illum non datur provocatio: Non per modum iudicii austregarum: quaecunque enim causa ad cameram imperialem vel iudicium aulicum per modum appellationis non possunt devolvi, in illis nec austregarum cognitio admittitur. *Ordin. Cam. p. 2. t. 2. §. 2. Doch soll keine Parthey ic. Besold. voc. Austräge. Blumius in P. C.* Eoque minus ulterior cognitio ad Imperatorem pertinet, ne quidem beneficio Revisionis, hoc enim in illis solummodo causis datur, quae decisionem finalem in supremis imperii iudiciis jam acceperunt.

Si vero aliquis ex subditis civitatum lib. refugium ad circuli Directorem, Den Kreis = ausschreibenden Fürsten / vel Ducem Circuli, den Kreis Obersten /umat, deque non recte sibi administrata justitia conqueratur, annon hoc ipsi erit permitendum? Incompetentem profecto adiisse judicem, nemo non videt: vel enim ex capite denegatae justitiae agere quis intendit, tunc recta via cameram vel judicium aulicum ea de re aggredi, atque querelam denegatae justitiae instituire tenetur, de cujus requisitis specialibus vid. *Dn. Preses in diff. de appellatione per saltum sect. 3.* Nullum vero Directorum circuli in tali casu est judicium. Vel implorat Directorem aut Ducem Circuli pro administranda sibi justitia; neque sic opem ab iisdem expectare poterit, cum nullibi ipsis cognitio sive jurisdictio in causis civilibus aut ecclesiast. ceterorum statuum sit tributa, sed Ducis circuli officium consistit solummodo in exequendis decretis camerae, militibus congregandis, legendis & ordinandis, aliisque quae huc faciunt *R. J. 1530. §. 103. & 1555. §. 57. R. J. 1582. §. 40. Schütz. de J. P. lib. I. tit. I. pos. 12. p. 45.* ubi singulae officii ejusdem partes recensentur. Directoris vero circuli officium spectatur tantum in convocandis statibus & membris circuli, consultando cum his de circuli negotiis, examinando monetas, atque decreta supremorum judiciorum publicando aliisve; nullatenus autem in cognitione de causis ecclesiasticis subditorum ad singulos

An quis circuli Ducem aut Directorem in iisdem causis adire queat.

los status pertinentium, nec quidquam circuli membris imperando praescribere valent. Vid. *Petr. Muller. de conventibus Circularum c. 3.* Sed dices: Quare igitur ecclesiasticus princeps semper fere una cum seculari in circulis constitutus est Director, si ejus non aliqua est cognitio vel jurisdictio in rebus ecclesiasticis? Respondetur: ipsius ecclesiastici Directoris nulum aliud est officium, quam secularis, jus nimirum indicendi comitia circularia, quaeque huc pertinent simul cum illo expediendi, ita tamen ut uterque directorio fungatur vicibus alternantibus, ab uno circulari conventu ad alterum, *von einen Kreis-Tage zum andern.* Quod vero in quovis fere circulo ecclesiasticus status condirectorium teneat, ejus fundamentum in historia germanica est quaerenda. Illo namque tempore, cui circularum origo adscribitur, cum constituentes Imperatores viderent, absque praedicio & laesione caeterorum statuum officium Directoris uni demandari non facile posse, ob principum paritatem, & multum tamen referret, ut per circularum constitutionem imperio consulere, quo non solum pax publica & profana melius observaretur, sed & paratior esset in quemvis statuum judicati executio: tum quoque metuendum, si solis principibus secularibus hoc officium tribueretur, ecclesiasticos status ex amulatione contradicturos esse, prudenti ratione circularum constitutores voluerunt, ut ex secularibus, pariter atque ex ecclesiasticis statibus, duo huic officio praeponebantur, non ut distincta
eorum

eorum sint officia, sed ut eo citius finis intentus obtineri, ac nemo de injuria sibi facta conqueri posset. *vid. plur. Dn Coccej. J. P. c. 4. §. 17. conf. quoque Mantissa 1. in Medic. ad J. P. ad art. VIII. §. 3. vers. redintegr. Circ. p. 1327.* Ex quo jam dilucide apparet, nullo modo subditos vel quemvis alium ex liber. civitatum civibus, Directores Ducesque circuloꝝ implorare posse, ad jus sibi dicendum administrandamve justitiam in causis ecclesiasticis, cum nulla plane his competat jurisdicctio. *vid. Thuan. Hist. lib. 2. p. m. 41. Petr. Muller. in cit. tr. de circulis von Krenßzügen Limn. J. P. lib. 9. c. 2. n. 244.* De cætero intercessionalibus literis vel amico monitorio, Directores circuli supplicantibus gratificari posse, lubens concedo, quamvis nec hoc cæteris constatibus sit denegandum.

§. XXV.

Cum igitur, secundum hæcenus dicta, exercitium juris circa sacra territorio ipsarum civitatum sit inclusum, nemo subditorum causam habet conquerendi, etiamsi constitutis consistoriis, ulterior adhuc cognitio & instantia coram magistratu, tanquam judice seculari, detur. Atque hinc errant ministri ecclesiæ, qui tali in casu magistratui ultimam cognitionem per modum appellationis sibi vindicanti, exceptionem fori incompetentis opponere præsumunt. Contigit similis fere casus nuperrime in civitate quadam libera inferioris Saxon. dum minister ecclesiæ propter varias causas citaretur ad compar-

Nemo in civitat. lib. de injuria sibi facta queri potest si in causis ecclesiast. coram seculari judice se sistere debeat.



parendum coram magistratu iudicioque seculari. Ex-
cipiebat enim, iudicium & forum hoc esse incom-
petens, neque se teneri coram illo respondere, im-
primis cum unus vel alter suorum inimicorum
in illo federet, atque hinc ad aliud provocabat. Re-
sponsum vero hoc tulit, propter unius vel alterius
membri suspecti exceptionem, totum collegium
reprobari non posse, neque exceptionem incompe-
tentis fori locum habere, quoniam illius, cuius est
constitutio & vocatio ministrorum ecclesiæ, quoque
sit de ipso cognitio, imprimis cum ex protocollis ci-
vilitatis satis constabat, similes processus & cognitio-
nes à magistratu fuisse pertractatas. Colligi illud
potest ex ipsa sententia in universitate marpurgensi
nomine civitatis in prædicta causa lata, quæ sequen-
tis est tenoris:

In *inquisitiones*. Sachen gegen den suspendirten
Prediger in der Sanct Stephans-Kirche hie-
selbst / Ehrn N. punctum injuriarum betreffend/
wird von Kayserslicher und des Heil. Römi-
schen Reichs-Stadt N. N. zum Gericht ver-
ordneten Stadt-Vogte und Assessoren *inquisito*
zu allen Überfluß und daß er über Überwehlung
nicht mit Zug Rechtens sich zubeschwehren
Ursach habe / nochmahls der d. Novembris schier
künftig sich auf die *fiscalische fol. act.* befindli-
che Anklage / weniger nicht / einzulassen als
auch seine Nothdurfft zu verhandeln hie mit
anbe-

¶ 33 ¶
anberechnet / und nöchmahlige *citatio* hiermit
erkandt / so daß in nicht Erscheinungs-Fall er
als *convictus & confessus* solte geachtet / und ge-
gen ihn *secundum petita fiscalis* erkennet werden
W. R. W.

Daß dieses Urtheil den rechten und uns zuge-
fertigten *actis* gemäß / bezeugen wir Deca-
nus und übrige Doctores und Professores
der Juristen Facultät in der Fürstl. Hessi-
schen Universität zu Marburg. Uhrfunde-
lich unsers hierunter gedruckten Facultäts
Insiegels.

Ex quo apparet, citationem ministri ecclesie ad
judicium seculare recte decerni, non alias ob ratio-
nes, quam quod civitatibus liberis summæque in il-
lis potestati, exercitium juris circa sacra, omnium-
que causarum illuc facientium cognitio, tam
contentiosæ quam voluntariæ jurisdictionis, competat,
etiam si forte consistorium ecclesiasticum ibidem sit
constitutum, in primis quando de delictis & speciatim
de depositione agitur: in dubio enim pro magistra-
tu pugnatur præsumptio, quod facultatem habeat de
illa cognoscendi. *Knipsch. de Priv. civit. lib. 2. c. 3.*
n. 222. Vid. pluribus hæc deducta simulque casum
& facti speciem editam a *Dn. Platnero in variis*
scriptis Ann. 1711.

De voca-
tione mini-
strorum ec-
clesiæ.

Competit præterea summæ potestati, ministro-
rum ecclesiæ vocatio. Etenim, cum christiana re-
ligio jubeat, tales habere in ecclesia, qui verbum
divinum populo prædicent, officiisque illis fungan-
tur, quæ in sacra scriptura præscribuntur, quippe quæ
principi, ut tali, non congruunt. *Dn. Thomaf. in diff.
de jure principis circa adiaphora cap. 1. §. 17. in fin.* im-
mediata autem vocatio a Deo amplius hodie non
expectanda sit, utique illi, cui universum exercitium
juris circa sacra tribuitur in civitatibus liberis, pars
quoque illius, vocatio scil. & constitutio ministro-
rum ecclesiæ, dēnegari nequit. Expeditur autem
hæc vocatio in civitatibus Imperii liberis plerisque,
ita, ut post mortem ministri ecclesiæ, senatus in-
timior, vel unus aut alter ex illo v. g. Consul, vel
in nonnullis civitatibus ipsi parochiani, tres vel plu-
res præsentent Candidatos, qui sermonem publice
e suggestu templi faciant. Ex his præsentatis duo
vel tres iterum senatui ærtiori ad electionem sistun-
tur, ubi per majora suffragia ille designatur, qui
in locum demortui succedat. Constitutis ita mini-
stris ecclesiæ, summæ potestatis officio ulterius incum-
bit, salaria convenientia iisdem assignare & perfol-
vere, quorum ope honeste una cum familia vivere
possint: Operarius enim mercede sua dignus est.
Nec sufficit, solutionem salariorum certam esse, nisi
hæc statuto tempore sequatur, nam, juxta vulgatum
prover-

proverbium, bis dat, qui cito dat, nil dat, qui muna-
nera tardat. Et in tantum laudabiliter in liberis ci-
vitat. agunt magistratus, si de sufficientibus citoque
persolvendis salariis ministris ecclesiæ prospiciant,
uti in genere hac de re egregie monuit & disseruit
Dn. Thomafius de augendo salario ministrorum ecclesiæ.
Optima hinc cautela est pro ecclesiæ ministris, ut
curam gerant, ægrotosque moneant, quo hi ad pias
causas ecclesiæ aliquid legent, unde salaria augeri pos-
sint, si forte aliunde augmentum sperandum haud
est, id quod etiam præcipitur in *Ord. Consist. Elect.*
Brandenb. Vid. Brunnem. in J. Ecel. lib. 2. c. 5. n. 2.
conf. etiam Dn. Böhmer. in jure Paroch. sect. 5.
cap. 2.

§. XXVII.

Pertinet huc quoque jus ordinandi adiaphora,
ejusve exercitium in omnibus & singulis, ciuitates li-
beræ Imper. recte sibi vindicant. Cum enim adia-
phora, & proprie sic dictæ ceremoniæ, nullum alium
habeant finem, quam ut omnia ordine atque de-
center in ecclesiâ peragantur, nullatenus vero in-
illis posita sit salus æterna, aut fidei fundamentum,
facile constat, sine ratione interdum pro illorum
observantia antiqua pugnari; quamvis non negem,
per horum immutationem scandala sapius dari po-
tius, quam utilitatem ecclesiæ promoveri: qua de-
re conferri possunt acta & rescripta in terris Saxo-
niæ Elect. de exorcismo in baptismo abrogando du-
dum

In genere
de exercitio
juris circa
adiaphora
disseritur.

dum prodita. *Vid. Brunn. in J. E. cap. 6. membr. 3. §. 3. ibique not. B. Stryckii verb. remoto scandalo.* Atque hinc nolo asserere, omnes ceremonias in ecclesia esse abrogandas; in bene enim constitutis ecclesiis necessitas exigit, ut in externis quoque certus fervetur ordo, quo populus, cujus sensus interiora non semper penetrare valet, haud deterreatur minus concinna & inordinata rerum facie.

§. XXIIII.

De effectu,
quando rite
in civitat.
lib. tam ec-
clesiastica
qua secula-
ris justitia
administra-
tur.

Quod si itaque civitates liberæ imperiales, di-
cto modo exercitium juris circa sacra, non solum
sibi ex legibus fundamentalibus ipsaque rerum
publicarum natura vindicent, sed & quavis oc-
casionem prudenter in effectum deducant, maxi-
mam possident felicitatis partem, modo alte-
ra regiminis pars, in seculari potestate consistens,
simul adhibeatur: Necessè enim est in bene consti-
tutis rebus publicis, ut utrumque brachium, tam se-
culare, quam ecclesiasticum, salvum sit & incolume.
Hinc illos, qui ad clavum reipubl. sedent, solite
inquirere decet, ut hic finis quovis modo obtinea-
tur, & semper, vacante in senatorio ordine loco,
novus in arte sua pollens administrator eligatur, cu-
jus humeri valeant sufferre reipubl. pondera.
Inprimis eo annitendum, ut concordiam cives in-
ter se ament & conservent: hæc namque est be-
tonica

tonica illa herba, qua plurima reipubl. pericula
& damna averti possunt: hæc est, quæ & in civi-
tatibus lib. Imper. commodum & felicitatem pro-
ducit, semperque promittit. Quamvis enim in
mundo, pro perduto humani generis statu, impos-
sibile fere sit, adeo affectibus frenum injicere, ut
omnis ambitio, avaritia, æmulatio, discordia atque
inimicitia a rebuspubl. eliminetur; nihilo tamen-
minus eousque affectus coërceri possunt, ne inevi-
tabile reipubl. inde attrahatur damnum atque in-
teritus; Quod evitari neutiquam poterit, si discor-
dia civium animi erga se invicem excitentur &
summa imis misceantur. Hostis tunc gaudebit,
& commodam occasionem aliquando apprehen-
det, ut pugnantibus inter se membris, totum
corpus subjugatur, atque libertas, cujus ingentia
commoda vix quisquam comprehendere valet, in
servitatem trahatur. Paucis ut multa complectar:

Concordia parvæ liberæ imperii civitates
crescunt, discordia maximæ dila-
buntur.

F I N I S.

H

CO

COROLLARIA.

I.

Pro præfenti Germaniæ ftatu
extra dubium pofitum eft, libe-
ras imperiales civitates femper
effe duraturas.

II.

Damnofum imperio germa-
nico nequaquam dici poteft,
quod in illo exiftant civitates li-
beræ ;

III.

III.

Civitates in comitiis æque
 ac cæteri status, sedent; sed quan-
 do votum ab iisdem exigitur,
 stantes illud proferunt, directo-
 rio interrogante, similique mo-
 do inter subsellia stante. vid.
Knipsch. de priv. civ. lib. 2. c. 1.
n. 60. ac ita explicandus est *Au-*
thor der Grundfeste P. 2. c. 2. p. m.
63. & in adjecta descriptione
 actus Procesionis & proposi-
 tionis in præsent. comit. quæ 1663.
 initium habuerunt *n. 13. 14. 23.*
34. 38. Item *Author des Europäi-*
schen Wapolds p. 813. b. ut &
 H 2 *Sue-*

Sueder. F. P. Part. Sp. f. 1. c. 30.
S. 9. & 14.

IV.

In consistoriis protocollorum
usus nequaquam potest omitti.



ULB Halle


3


006 548 385



VD 18







30. Vol. xxiii. num. 8

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE

EXERCITIO IURIS

CIRCA SACRA CIVITATUM IMPERIAL.
LIBERARUM PROTESTANTIUM

18
1713/17^a

QUAM
AUXILIO DIVINO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILHELMO HENRICO,

DUCE SAXON. JUL. CLIV. MONT. ANGAR. ET
VVESTPHAL. ET RELIQUA,

DUCATUS ISENACENSIS HEREDE

IN ALMA SALANA

EX DECRETO ILLUSTRIS ORDINIS IURIDICI
R R Æ S I D E

VIRO ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO

CHRISTIANO WILDVOGELIO,

JCTO CONSUMMATISSIMO,

CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI INTIMO, CURIÆ PRO-
VINCIALIS ET SCABINATUS ASSESSORE, FACULTATIS
IURIDICÆ SENIORE, JURISPUBL. FEUDALIS, CODICIS,
AC NOVELLARUM PROFESSORE ORDINARIO,
DN. PATRONO AC FAUTORE ÆTERNUM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE JURE CAPESSENDI HONORES ET PRIVILEGIA
SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT

D. Jun. MDCCXIII. horis ante & pomeridianis.

GEORGIUS MATTHIAS Hirsch / Goslariensis.

IENÆ, Litteris Müllerianis.

